

M. TVLLI CICERONIS ORATIO  
IN L. CATILINAM QVARTA  
IN SENATV HABITA

- I 1 Videō, patrēs cōnscrīptī, in mē omnium vestrum ōra atque oculōs esse conversōs; videō vōs nōn solum dē vestrō ac reī pūblicae, vērū etiam, sī id dēpulsum sit, dē meō perīculō esse sollicitōs. Est mihi iūcunda in malīs et grāta in dolōre vestra ergā mē voluntās, sed eam, per deōs immortalēs, dēpōnite atque oblītī salūtis meae dē vōbīs ac dē vestrīs līberīs cōgitāte. Mihi sī haec condiciō cōnsulātūs data est, ut omnēs acerbītātēs, omnēs dolōrēs cruciātūsque perferrem, feram nōn solum fortiter, vērū etiam libenter, dum modo meīs labōribus vōbīs populōque Rōmānō dīgnitās
- 2 salūsque pariātur. Ego sum ille cōsul, patrēs cōnscrīptī, cui nōn forum, in quō omnis aequitās continētur, nōn campus cōnsulāribus auspiciīs cōnsecrātus, nōn cūria, summum auxilium omnium gentium, nōn domus, commūne perfugium, nōn lectus ad quiētem datus, nōn dēnique haec sella curūlis, sēdēs honōris, umquam vacua mortis perīculō atque īnsidiīs fuit. Ego multa tacuī, multa pertulī, multa concessī, multa meō quōdam dolōre in vestrō timōre sānāvī. Nunc sī hunc exitum cōnsulātūs meī dī immortalēs esse voluērunt, ut vōs populumque Rōmānum ex caede miserrimā, coniugēs līberōsque vestrōs virginēsque Vestālēs ex acerbissimā vexātiōne, templa atque dēlūbra, hanc pulcherrimam patriam omnium nostrum ex foedissimā flammā, tōtam Italiam ex bellō et vāstitāte ēriperem, quaecumque mihi ūnī prōpōnētur fortūna, subeātur. Etenim, sī Pūblius Lentulus suum nōmen, inductus ā vātibus, fātāle ad perniciem reī pūblicae fore putāvit, cūr ego nōn laeter meum
- II 3 cōnsulātum ad salūtem populī Rōmānī prope fātālem exstītisse? Quārē, patrēs cōnscrīptī, cōnsulite vōbīs, prōspicite patriae, cōservāte vōs, coniugēs, līberōs fortūnāsque vestrās, populī Rōmānī nōmen salūtemque dēfendite; mihi parcere ac dē mē cōgitāre dēsinite. Nam prīmum dēbeō spērāre omnēs deōs, quī huīc urbī praesident, prō eō mihi ac mereor, relātūrōs esse grātiam; deinde, sī quid obtigerit, aequō animō parātōque moriar. Nam neque turpis mors fortī virō potest accidere neque immātūra cōnsulārī nec misera sapientī. Nec tamen ego sum ille ferreus, quī frātris cārissimī atque amantissimī praesentis maerōre nōn movear hōrumque omnium lacrimīs, ā quibus mē circumsessum vidētis. Neque meam mentem nōn domum saepe revocat exanimāta uxor et abiecta metū filia et parvulus filius, quem mihi vidētur amplectī rēs pūblica tamquam obsidem cōnsulātūs meī, neque ille, quī expectāns huius exitum diēi stat in cōspectū meō, gener. Moveor hīs rēbus omnibus, sed in eam partem, utī salvī sint vōbīscum omnēs, etiamsī mē vīs aliqua oppreserit, potius quam et illī et nōs ūnā reī pūblicae peste pereāmus.
- 4 Quārē, patrēs cōnscrīptī, incumbite ad salūtem reī pūblicae, circumspicite omnēs procellās, quae impendent, nisi prōvidētis. Nōn Tiberius Gracchus, quod iterum tribūnus plēbis fierī voluit, nōn Gāius Gracchus, quod agrāriōs concitāre cōnātus est, nōn Lūcius Sātūrnīnus, quod Gāium Memmīum occīdit, in discrīmen aliquod atque in vestrae sevērītātis iūdicium addūcitur: tenentur iī, quī ad urbīs incendium, ad vestram omnium caedem, ad Catilīnam accipiendum Rōmae restitērunt; tenentur litterae, sīgna, manūs, dēnique ūnūs cuiusque cōfessiō; sollicitantur Allobrogēs; servitia excitantur; Catilīna accersitur; id est initum cōnsilium, ut, interfectīs omnibus, nēmō nē ad dēplōrandum quidem populī Rōmānī nōmen atque ad
- III 5 lāmentandam tantī imperiī calamitātem relinquātur. Haec omnia indicēs dētulērunt;

reī cōfessī sunt; vōs multīs iam iūdicīīs iūdicāvistis: primum, quod mihi grātiās ēgistis singulāribus verbīs, et meā virtūte atque dīligentiā perditōrum hominum coniūrātiōnem patefactam esse dēcrēvistis; deinde, quod Pūblium Lentulum sē abdicāre praetūrā coēgistis; tum, quod eum et cēterōs, dē quibus iūdicāstis, in cūstōdiam dandōs cēnsuistis; māximēque, quod meō nōmine supplicātiōnem dēcrēvistis, quī honōs togātō habitus ante mē est nēminī; postrēmō hesternō diē praemia lēgātīs Allobrogum Titōque Volturciō dedistis amplissima. Quae sunt omnia eius modī, ut iī, quī in cūstōdiam nōminātim datī sunt, sine ūllā dubitātiōne ā vōbīs damnātī esse videantur.

6 Sed ego īnstituī referre ad vōs, patrēs cōnscrīptī, tamquam integrum, et dē factō quid iūdicētis, et dē poenā quid cēnsēatis. Illa praedīcam, quae sunt cōnsulis. Ego magnum in rē pūblicā versārī furōrem et nova quaedam miscērī et concitārī mala iam prīdem vidēbam, sed hanc tantam, tam exitiōsam habērī coniūrātiōnem ā cīvibus numquam putāvī. Nunc quicquid est, quōcumque vestrae mentēs inclīnant atque sententiae, statuendum vōbīs ante noctem est. Quantum facinus ad vōs dēlatum sit, vidētis. Huīc sī paucōs putātis affīnēs esse, vehementer errātis. Lātius opīniōne dissēminātum est hoc malum; mānāvit nōn solum per Italiam, vērū etiam trāscendit Alpēs et obscurē serpēns multās iam prōvinciās occupāvit. Id opprimī sustentandō aut prōlātandō nūllō pactō potest; quācumque ratiōne placet, celeriter vōbīs vindicandum est.

IV 7 Videō duās adhūc esse sententiās: ūnam Decimī Silānī, quī cēnsent eōs, quī haec dēlēre cōnātī sunt, morte esse multandōs; alteram Gāiī Caesaris, quī mortis poenam removet, cēterōrum suppliciorum omnēs acerbitātēs amplectitur. Uterque et prō suā dīgnitāte et prō rērum magnitudīne in summā sevērītate versātur. Alter eōs, quī nōs omnēs, quī populum Rōmānum vītā prīvāre cōnātī sunt, quī dēlēre imperium, quī populī Rōmānī nōmen exstinguere, pūctum temporis fruī vītā et hōc commūnī spīritū nōn putat oportēre, atque hoc genus poenae saepe in improbōs cīvēs in hāc rē pūblicā esse ūsurpātum recordātur. Alter intellegit mortem ab dīs immortalibus nōn esse supplicīi causā cōnstitutam, sed aut necessitātem nātūrae aut labōrum ac miseriarum quiētem esse. Itaque eam sapientēs numquam invītī, fortēs saepe etiam libenter oppetīvērunt. Vincula vērō, et ea sempiterna, certē ad singulārem poenam nefārīi sceleris inventa sunt. Mūnicipiīs dispertīrī iubet. Habēre vidētur ista rēs iniquitātem, 8 sī imperāre velīs, difficultātem, sī rogāre. Dēcernātur tamen, sī placet. Ego enim suscipiam et, ut spērō, reperiam, quī id, quod salutis omnium causā statueritis, nōn putent esse suae dīgnitātis recūsāre. Adiungit gravem poenam mūnicipiīs, sī quis eōrum vincula rūperit; horribilēs cūstōdiās circumdat et dīgnās scelere hominum perditōrum; sāncit, nē quis eōrum poenam, quōs condemnat, aut per senātum aut per populum levāre possit; ēripit etiam spem, quae sōla hominēs in miserīis cōnsolārī solet. Bona praetereā pūblicārī iubet; vītā sōlam relinquit nefārīis hominibus; quam sī ēripuisset, multōs ūnā dolōrēs animī atque corporis et omnēs scelerum poenās adēmisset. Itaque ut aliqua in vītā formīdō improbīs esset prōposita, apud īferōs eius modī quaedam illī antīquī supplicia impiīs cōnstitutā esse voluērunt, quod videlicet intellegēbant, hīs remōtīs, nōn esse mortem ipsam pertimēscendam.

V 9 Nunc, patrēs cōnscrīptī, ego meā, videō, quid intersit. Sī eritis secūtī sententiam Gāiī Caesaris, quoniam hanc is in rē pūblicā viam, quae populāris habētur, secūtus est, fortasse minus erunt, hōc auctōre et cōgnitōre huiusce sententiae, mihi

populārēs impetūs pertimēscendī; sīn illam alteram, nesciō, an amplius mihi negōtīi contrahātur. Sed tamen meōrum periculōrum ratiōnēs ūtilitās reī pūblicae vincat. Habēmus enim ā Caesare, sicut ipsius dīgnitās et māiōrum eius amplitūdō postulābat, sententiam tamquam obsidem perpetuae in rem pūblicam voluntātis. Intellectum est, quid interesset inter levitātem cōntiōnātōrum et animum vērē populārem, salūtī populī cōnsulentem. Videō dē istīs, quī sē populārēs habērī volunt, abesse nōn nēminem, nē dē capite videlicet cīvium Rōmānōrum sententiam ferat. Is et nudius tertius in cūstōdiam cīvēs Rōmānōs dedit, et supplicātiōnem mihi dēcrēvit, et indicēs hesternō diē māximīs praemiīs affēcit. Iam hoc nēminī dubium est, quī reō cūstōdiam, quaesītōrī grātulātiōnem, indicī praemium dēcrērit, quid dē tōtā rē et causā iūdicārit. At vērō Gāius Caesar intellegit lēgem Semprōniam esse dē cīvibus Rōmānīs cōstitutam; quī autem reī pūblicae sit hostis, eum cīvem esse nūllō modō posse; dēnique ipsum lātōrem Semprōniae lēgis iussū populī poenās reī pūblicae dēpendisse. Idem ipsum Lentulum, largītōrem et prōdigum, nōn putat, cum dē perniciē populī Rōmānī, exitiō huius urbis tam acerbē, tam crūdēliter cōgitārit, etiam appellārī posse populārem. Itaque homō mītissimus atque lēnissimus nōn dubitat Pūblium Lentulum aeternīs tenebrīs vinculisque mandāre, et sāncit in posterum, nē quis huius suppliciō levandō sē iactāre et in perniciē populī Rōmānī posthāc populāris esse possit. Adiungit etiam pūblicātiōnem bonōrum, ut omnēs animī cruciātūs et corporis etiam egestās ac mendicitās cōsequatur.

VI 11 Quam ob rem, sīve hoc statueritis, dederitis mihi comitem ad cōntiōnem populō cārum atque iūcundum, sīve Sīlānī sententiam sequī mālueritis, facile mē atque vōs ā crūdēlitātis vituperātiōne populus Rōmānus exsolvet, atque obtinēbō eam multō lēniōrem fuisse. Quamquam, patrēs cōnscrīptī, quae potest esse in tantī sceleris immānitāte pūnienda crūdēlitās? Ego enim dē meō sēnsū iūdicō. Nam ita mihi, salvā rē pūblicā, vōbiscum perfruī liceat, ut ego, quod in hāc causā vehementior sum, nōn atrōcitate animī moveor (quis enim est mē mītior?), sed singulārī quādā hūmānitāte et misericordiā. Videor enim mihi vidēre hanc urbem, lūcem orbis terrārum atque arcem omnium gentium, subitō ūnō incendiō concidentem. Cernō animō sepultā in patriā miserōs atque insepultōs acervōs cīvium; versātur 12 mihi ante oculōs aspectus Cethēgī et furor in vestrā caede bacchantis. Cum vērō mihi prōposuī rēgnantem Lentulum, sicut ipse sē ex fātīs spērāsse cōfessus est, purpurātum esse huīc Gabīnium, cum exercitū vēnisse Catilīnam, tum lāmentātiōnem mātrum familias, tum fugam virginum atque puerōrum ac vexātiōnem virginum Vestālium perhorrēscō et, quia mihi vehementer haec videntur misera atque miseranda, idcirco in eōs, quī ea perficere voluērunt, mē sevērūm vehementemque praebeō. Etenim quaerō, sī quis pater familias, liberīs suīs ā servō interfectīs, uxōre occīsā, incēnsā domō, supplicium dē servō nōn quam acerbissimum sūmpserit, utrum is clēmēns ac misericors an inhūmānissimus et crūdēlissimus esse videātur. Mihi vērō importūnus ac ferreus, quī nōn dolōre et cruciātū nocentis suum dolōrem cruciātumque lēnierit. Sīc nōs in hīs hominibus, quī nōs, quī coniugēs, quī liberōs nostrōs trucidāre voluērunt, quī singulās ūnīus cuiusque nostrum domōs et hoc ūniversum reī pūblicae domicilium dēlēre cōnātī sunt, quī id ēgērunt, ut gentem Allobrogum in vestīgīis huius urbis atque in cinere dēflagrātī imperiī collocārent, sī vehementissimī fuerimus, misericordēs habēbimur; sīn remissiōrēs esse voluerimus, 13 summae nobīs crūdēlitātis in patriae cīviumque perniciē fāma subeunda est. Nisi

vērō cuīpiam Lūcius Caesar, vir fortissimus et amantissimus reī pūblicae, crūdēlior nudius tertius vīsus est, cum sorōris suae, fēminae lēctissimae, virum praesentem et audientem vītā prīvandum esse dīxit, cum avum suum iussū consulis interfectum filiumque eius impūberem lēgātum ā patre missum in carcere necātum esse dīxit. Quōrum quod simile factum, quod initum dēlendae reī pūblicae cōnsilium? Largitōnis voluntās tum in rē pūblicā versāta est et partium quaedam contentiō. Atque illō tempore huius avus Lentulī, vir clārissimus, armātus Gracchum est persecūtus. Ille etiam grave tum vulnus accēpit, nē quid dē summā rē pūblicā dēminueretur; hic ad evertenda reī pūblicae fundāmenta Gallōs accersit, servitiā concitat, Catilīnam vocat, attribuit nōs trucīdandōs Cethēgō et cēterōs cīvēs interficiendōs Gabīniō, urbem īnflammandam Cassiō, tōtam Italiam vāstandam dīripiendamque Catilīnae. Vereāminī cēnseō, nē in hōc scelere tam immānī ac nefandō nimis aliquid sevērē statuisset videāminī; multō magis est verendum, nē remissiōne poenās crūdēlēs in patriam quam nē sevērītate animadversiōnis nimis vehementēs in acerbissimōs hostēs fuisse videāmur.

- VII 14 Sed ea, quae exaudiō, patrēs cōnscrīptī, dissimulāre nōn possum. Iaciuntur enim vōcēs, quae perveniunt ad aurēs meās, eōrum, quī verērī videntur, ut habeam satis praesidiī ad ea, quae vōs statueritis hodiernō diē, trānsigenda. Omnia et prōvīsa et parāta et cōnstitūta sunt, patrēs cōnscrīptī, cum meā summā cūrā atque dīligentiā, tum etiam multō māiōre populī Rōmānī ad summum imperium retinendum et ad commūnēs fortunās cōnservandās voluntāte. Omnēs adsunt omnium ōrdinum hominēs, omnium generum, omnium dēnique aetātum; plēnum est forum, plēna templa circum forum, plēnī omnēs aditūs huius templī ac locī. Causa est enim post urbem conditam haec inventa sōla, in quā omnēs sentīrent ūnum atque idem praeter eōs, quī cum sibi vidērent esse pereundum, cum omnibus potius quam sōlī perīre voluerunt.
- 15 Hōsce ego hominēs excipiō et sēcerno libenter neque in improbōrum cīvium, sed in acerbissimōrum hostium numerō habendōs putō. Cēterī vērō, dī immortalēs! quā frequentīā, quō studiō, quā virtūte ad commūnem salutem dīgnitātemque cōnsentiunt! Quid ego hīc equitēs Rōmānōs commemorem? Quī vōbīs ita summam ōrdinis cōnsiliūque concēdunt, ut vōbīscum dē amōre reī pūblicae certent; quōs ex multōrum annōrum dissēnsiōne huius ōrdinis ad societātem concordiamque revocātōs hodiernus diēs vōbīscum atque haec causa coniungit. Quam sī coniūctiōnem, in cōnsulatū cōnfirmātam meō, perpetuam in rē pūblicā tenuerimus, cōnfirmō vōbīs nūllum posthāc malum cīvīle ac domesticum ad ūllam reī pūblicae partem esse ventūrum. Parī studiō dēfendendae reī pūblicae convēnisse videō tribūnōs aerāriōs, fortissimōs virōs; scrībās item ūniversōs, quōs, cum cāsū hic diēs ad aerārium frequentāset, videō ab exspectātiōne sortis ad salutem commūnem esse conversōs.
- 16 Omnis ingenuōrum adest multitudō, etiam tenuissimōrum. Quis est enim, cuī nōn haec templa, aspectus urbis, possessiō libertātis, lūx dēnique haec ipsa et hoc
- VIII commūne patriae solum cum sit cārum, tum vērō dulce atque iūcundum? Operae pretium est, patrēs cōnscrīptī, libertīnōrum hominum studia cōgnōscere, quī suā virtūte fortunam huius cīvītātis cōnsecūtī vērē hanc suam esse patriam iūdicant, quam quīdam hīc nātī, et summō nātī locō, nōn patriam suam, sed urbem hostium esse iūdicāvērunt. Sed quid ego hōsce hominēs ōrdinēsque commemorō, quōs prīvātae fortunae, quōs commūnis rēs pūblica, quōs dēnique libertās, ea quae dulcissima est, ad salutem patriae dēfendendam excitāvit? Servus est nēmō, quī modo

- 17 tolerābilī condiciōne sit servitūtis, quī nōn audāciam cīvium perhorrēscat, quī nōn haec stāre cupiat, quī nōn tantum, quantum audet, et quantum potest, cōnferat ad commūnem salūtem, voluntātis. Quārē sī quem vestrum forte commovet hoc, quod audītum est, lēnōnem quendam Lentulī concursāre circum tabernās, pretiō spērāre sollicitārī posse animōs egentium atque imperītōrum, est id quidem coeptum atque temptātum, sed nullī sunt inventī tam aut fortunā miserī aut voluntāte perditī, quī nōn illum ipsum sellae atque operis et quaestūs cotīdiānī locum, quī nōn cubīle ac lectulum suum, quī dēnique nōn cursum hunc otiōsum vītae suae salvum esse velint. Multō vērō māxima pars eōrum, quī in tabernīs sunt, immō vērō (id enim potius est dīcendum) genus hoc ūniversum amantissimum est otiī. Etenim omne īnstrūmentum, omnis opera atque quaestus frequentīā cīvium sustentātur, alitur otiō; quōrum sī quaestus, occlūsīs tabernīs, minuī solet, quid tandem incēnsīs futurum fuit?
- IX 18 Quae cum ita sint, patrēs cōnscrīptī, vōbīs populī Rōmānī praesidia nōn dēsunt; vōs nē populō Rōmānō deesse videāminī, prōvidēte. Habētis cōnsulem ex plūrimīs perīculīs et īnsidiīs atque ex mediā morte nōn ad vītā suam, sed ad salūtem vestram reservātum. Omnēs ordinēs ad cōnservandam rem pūblicā mente, voluntāte, studiō, virtūte, vōce cōnsentiunt. Obsessa facibus et tēlīs impiae coniūrātiōnis vōbīs supplex manūs tendit patria commūnis, vōbīs sē, vōbīs vītā omnium cīvium, vōbīs arcem et Capitōlium, vōbīs ārās penātium, vōbīs illum īgnem Vestae sempiternum, vōbīs omnium deōrum templa atque dēlūbra, vōbīs mūrōs atque urbis tēcta commendat. Praetereā dē vestrā vītā, dē coniugum vestrārum atque līberōrum animā, dē fortunīs omnium, dē sēdibus, dē focīs vestrīs hodiernō diē vōbīs iūdicandum est. Habētis ducem memorem vestrī, oblītum suī, quae nōn semper facultās datur; habētis omnēs ordinēs, omnēs hominēs, ūniversum populum Rōmānum, id quod in cīvīlī causā hodiernō diē prīmum vidēmus, ūnum atque idem sentientem. Cōgitāte, quantīs labōribus fundātum imperium, quantā virtūte stabilitam lībertātem, quantā deōrum benīgnitāte auctās exaggerātāsque fortunās ūna nox paene dēlērīt. Id nē umquam posthāc nōn modo nōn cōnficī, sed nē cōgitārī quidem possit ā cīvibus, hodiernō diē prōvidendum est. Atque haec, nōn ut vōs, quī mihi studiō paene praecurritis, excitārem, locūtus sum, sed ut mea vōx, quae dēbet esse in rē pūblicā prīnceps, officiō fūncta cōnsulārī vidērētur.
- X 20 Nunc, antequam ad sententiam redeō, dē mē pauca dīcam. Ego, quanta manus est coniūrātōrum, quam vidētis esse permagnam, tantam mē inimīcōrum multitudinem suscēpisse videō; sed eam esse iūdicō turpem et īnfirmam et abiectam. Quodsī aliquandō alicuius furōre et scelere concitāta manus ista plūs valuerit quam vestra ac rē pūblicae dīgnitās, mē tamen meōrum factōrum atque cōnsiliōrum numquam, patrēs cōnscrīptī, paenitēbit. Etenim mors, quam illī mihi fortasse minitantur, omnibus est parāta; vītae tantam laudem, quantā vōs mē vestrīs dēcrētīs honestāstis, nēmō est assecūtus. Cēterīs enim bene gesta, mihi ūnī, cōnservātā rē pūblicā, grātulātiōnem dēcrēvistis. Sit Scīpiō clārus ille, cuius cōnsiliō atque virtūte Hannibal in Āfricā redīre atque Italiā dēcēdere coāctus est, ōrnētur alter eximiā laude Āfricānus, quī duās urbēs huīc imperiō īnfēstissimās, Carthāginem Numantiamque, dēlēvit, habeātur vir ēgregius Paulus ille, cuius currum rēx potentissimus quondam et nōbilissimus Persēs honestāvit, sit aeternā glōriā Marius, quī bis Italiā obsidiōne et metū servitūtis liberāvit, antepōnātur omnibus Pompēius, cuius rēs gestae atque virtūtēs īsdem, quibus sōlis cursus regiōnibus ac terminīs continentur; erit profectō
- 21

inter hōrum laudēs aliquid locī nostrae glōriae, nisi forte māius est patefacere nōbīs prōvinciās, quō exīre possīmus, quam cūrāre, ut etiam illī, quī absunt, habeant, quō victōrēs revertantur. Quamquam est ūnō locō condiciō melior externae victōriae quam domesticae, quod hostēs aliēnigenae aut oppressī serviunt, aut, receptī beneficiō, sē obligātōs putant; quī autem ex numerō cīvium dēmentiā aliquā dēprāvātī hostēs patriae semel esse coepērunt, eōs cum ā perniciē reī pūblicaē reppuleris, nec vī coercēre, nec beneficiō plācāre possīs. Quārē mihi cum perditīs cīvibus aeternum bellum susceptum esse videō. Id ego vestrō bonōrumque omnium auxiliō memoriāque tantōrum periculōrum, quae nōn modo in hōc populō, quī servātus est, sed in omnium gentium sermōnibus ac mentibus semper haerēbit, ā mē atque ā meīs facile prōpulsārī posse cōnfidō. Neque ūlla profectō tanta vīs reperiētur, quae coniūctiōnem vestram equitumque Rōmānōrum et tantam cōnspirātiōnem bonōrum omnium cōnfringere et labefactāre possit.

XI 23 Quae cum ita sint, prō imperiō, prō exercitū, prō prōvinciā, quam neglēxī, prō triumphō cēterisque laudis īnsīgnibus, quae sunt ā mē propter urbis vestraeque salutis cūstōdiam repudiāta, prō clientēlīs hospitīisque prōvinciālībus, quae tamen urbānīs opibus nōn minōre labōre tueor, quam comparō, prō hīs igitur omnibus rēbus, prō meīs in vōs singulāribus studiīs prōque hāc, quam perspicitis, ad cōnservandam rem pūblicā dīligentiā nihil ā vōbīs nisi huius temporis tōtiusque meī cōnsulātūs memoriā postulō; quae dum erit in vestrīs fīxa mentibus, tūtissimō mē mūrō saeptum esse arbitrābor. Quodsī meam spem vīs improbōrum fefellerit atque superāverit, commendō vōbīs parvum meum fīlium, cui profectō satis erit praesidiū nōn solum ad salutem, vērū etiam ad dīgnitātem, sī eius, quī haec omnia suō sōlīus periculō cōnservārit, illum fīlium esse memineritis. Quāpropter dē summā salutē vestrā populīque Rōmānī, dē vestrīs coniugibus ac liberīs, dē ārīs ac focīs, dē fānīs atque templīs, dē tōtius urbis tēctīs ac sēdibus, dē imperiō ac lībertāte, dē salutē Italiae, dē ūniversā rē pūblicā dēcernite dīligenter, ut īstituistis, ac fortiter. Habētis eum cōnsulem, quī et pārēre vestrīs dēcrētīs nōn dubitet et ea, quae statueritis, quoad vīvet, dēfendere et per sē ipsum praestāre possit.